



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacrarvm Antiqvitatvm Monvmenta

Hillesheim, Ludwig

Antverpiæ, 1577

Deo Omnipotenti Sacrvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68887](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68887)

DEO OMNIPOTENTI

SACRVM.

Aloisius, Lu-
douicus est,
auctor operis

AVREA sidereis aurora refulserat oris,
 Vere nouo, noctemq; polo, terrisq; fugarat;
 Cum captus mira vernantis imagine mundi
 Propter aquam patrio residens Aloisius horto,
 Diuinum celi ac terræ miratur honorem.
 Interea sua fata graui cum corde volutans,
 Eos sese celi conuertit ad ortus,
 Vota ferens, tristesq; hos fudit ad æthera questus:
 Exere speratum caelesti munere lumen,
 Omnipotens, miti terras & numine lustra.
 Utq; serenato radiis flagrantibus orbi
 Sol oritur, superatur hiems, noua gloria mundo;
 Et vernus reparatur honos, latissima terris
 Stat facies, prata & colles, & rura nitescunt:
 Sic tua, mite Deus numen, clementia, letum
 Proferat os, & se terras diffundat in omnes:
 Hæc mæstas abigat tenebras, tristesq; labores,
 Aethereaq; nouas collustret lampade mentes.
 Nam quæ nos facies eladum, diraq; malorum
 Infestant fætas vitiis & crimine terras?
 Omniaq; inuoluunt. Sic formidata malorum
 Fata agitant cunctas bellis & cadibus oras,
 Morbidaq; exanimant lethali corpora tabe.
 Sic tristis sine fruge famelate omnia torquet.
 Non tu caussa mali genitor, qui cuncta serenas,
 Utq; pios laxata sinus, sua pignora mater
 Confouet, ac blandis tutans amplectitur vlnis:
 Sic pietate tua rerum dura omnia vertis,
 Iustitiaq;

Iustitiâq; tua miseros & numine firmas.
 Nos scelere impulsî iustas accersimus iras,
 Et meritis luimus pœnis commissa nocentes.
 Sed quoniam grauibus perculsi pectora curis
 Tendimus ad calum dextras, veniamq; rogamus:
 Aspice sollicita pressas formidine mentes,
 Et tristes auerte minas, atque aspera mulce.
 Vincat ad extremum pietas, seq; ardua tollat;
 Atque tuis dulcem referat cum pace quietem:
 Hos me inter, quanquam fontem, tua dextera firmet.
 O vitæ spes vna meæ, tua numina grato
 Sic cultu, & dulci semper venerabor amore.
 Et quoniam nostræ, in senium vergentibus annis,
 Declinant vitæ spatia, angustiq; feruntur
 Limite, tu mæsta præfer tua lumina menti,
 Ne procul auersam celo, mors dira fatiget:
 Sed reuerente animo semper tuâ iussa secutum
 Spiritus intus alat: vitæq; alimenta ministret
 Tempore quæ nullo, non vlllo defluat æuo.
 Quicquid erit mortale, leues solvatur in auras,
 Cum statues, aderit nostri cum terminus æui.
 Tu saltem placido languentem & acerba gementem
 Aspicias vultu, extremum miserate laborem:
 Felicemq; animam celesti in lumine sistas.
 Hic ego charorum genios, atque ora parentum
 Agnoscam. Vos ô nato gaudete recepto:
 Et dum summa dies alto nos æthere iunget,
 Accipite has laudum inferias. Sint nomina summo
 Vestra licet descripta polo, tamen addita paucis
 Verba, notent patrium iusto de more sepulcrum.
 Aeternus nato & patriæ dolor occidis, altis

Antonio
 Hillesemio
 A. viro con-
 sulari, op:
 patri vita de-
 functo 1554,
 20. Februarij

*Addite calitibus. te relligione potentem,
Antoni pietas, felicibus intulit astris.*

Sibylla Zi-
chling, pien-
tissimæ ma-
tri defunctæ,
1563, 9. Iunij

Mater num̄ ast tumulū hi versus in marmore signet:

O multum dilecta parens, quæ clara Sibyllæ

Nomine, post æni spatium sublimibus astris

Addita, fers sanctæ caelestia munera vitæ.

Me quoque cūm diuinæ manus de corpore mortis

Soluerit, hæc nostro sint addita pauca sepulchro.

Vixi mente bona, fata inter noxia mundi,

Mente bona mortor, quoniam Deus omnia nobis

Et fuit, & nostri est merces æterna laboris.

Sic fatus, patrio perstans Aloisius horto

Desiit, & magno celi succensus amore,

Hæc animi signata sui monimenta reliquit.

FINIS.